

mentis, ac minantis Civitati obsidionem, ignem, et ferrum, et hujusmodi gravissima mala, ac interim nec tempus, nec vis haberetur adeundi tam cito Summum Pontificem, in tali urgenti casu, si cæteræ aliæ requisitæ conditiones adessent, sufficeret consensus Episcopi, et Cleri; Sic expresse Abbas in cit. cap. *Non minus*, 4, num. 19, de Immunit. Eccles. Pignatell. tom. 3, consult. 13, num. 37. Castropal. part. 2, tract. 12, disput. unie. punct. 9, num. 7. Diana part. 5, tract. 1, resolut. 11. Silvester verb. *Immunitas* 1, num. 20. Pirhing lib. 3, decr., tit. 49, num. 72. Reiffenstuel ibid. num. 260, vers. *Limitatur* testatus de communi; arg. cap. *Pervenit* 2, de Immunit. Eccles. l. *Tutor. qui repertorium* 7, ff. de administr. Tutor. Et ratio est, quia *quod non est licitum in Lege, necessitas facit licitum*, textu expresso in cap. *Quod non est licitum* 4, de Reg. Juris; Necessitas enim non habet Legem, c. *Sicut* 11, de consecrat. distinct. 1, cap. *Consilium* 2, de observat. jejunior. cap. *Omnes* 1, de feriis; cap. *Consulisti* 3, de celebrat. Missarum, cum similibus. Tum quia in simili urgenti necessitatis casu adest præsumpta Pontificis voluntas. Tum etiam quia in tali urgenti necessitate subintrat jus naturale, quo Respublica jus habet ad se protegendum etiam contra Ecclesiasticos, si isti in tali imminente, et gravi periculo ipsam succurrere nolint. Lex enim positiva, sive divina, sive humana sit, non obligat, quando urget vis præcepti naturalis atque divini; D. Thom. part. 2, quæst. 94, art. 1, Azor. tom. 1, lib. 5, cap. 13 et 14, et part. 2, lib. 4, c. 18. Pignatell. tom. 3, cit. consult. 15, numer. 37, et alii passim.

(7. Advertendum tamen est cum citatis Doctoribus, quod licet talis urgens necessitas, et moræ periculum facile possit contingere in exactione contributionis ad unum, vel alterum actum, seu ad breve tempus, si tamen necessitas diutius duret, et contributio ad longum tempus continuanda sit, tunc pro tali continuatione debet obtineri Papæ consensus, quamvis sine ipsius expresso consensu, ratione talis urgentis moræ periculi fuerit incepta. Cum enim quoad continuationem lex de exquirendo Pontificis consensu, non obstante necessitate, servari possit, ut supponitur, debet necessario adimpleri, eo quod causa excusans cessaverit; argum. cap. *cum cessante* 60, de appellation. leg. *Adigere* 6, § 2, ff. de jurepatron.

(8. Item advertendum est, quod sicut urgente moræ periculo, absque expresso consensu Papæ contributiones ab Ecclesiasticis exigi, et respective solvi possunt, ita etiam absque expresso consensu Episcopi, et Cleri, si aliqua particularis intervenerit urgens necessitas, et impossibilitas interim adeundi Episcopum; militat enim eadem ratio in utroque casu; et ubi eadem est ratio, eadem est juris dispositio; l. *Ideo* 27, ff. de Legibus, l. *Illud* 31, ff. ad Leg. Aquil. cap. *Inter corporalia* 2, de translation. Episc. Sic Reiffenstuel cit. num. 260, vers. *Limitatur*, et alii.

(9. Nomine Cleri, qui una cum Episcopo

debet primus examinare, deliberare, et judicare, an necessitas Reipublicæ tanta sit, ut Laicorum facultates non sufficiant, et consequenter de bonis quoque Ecclesiasticorum sit succurrendum, hic venit non solum Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, sed totus Clerus Diocesis saltem in suis deputatis, Abbas in cap. *Non minus* 4, n. 1, de Immunit. Eccles. et ibi Fagnan. num. 23, ac Barbosa num. 7, Pignatell. tom. 3, consultat. 13, num. 34, Magala part. 2, lib. 2, cap. 17, quæst. 6, num. 124, Bellet. Disquisit. Cleric. part. 1, tit. de exempt. Clericor. § 2, num. 5, Barbosa in Bulla *Cænæ* disput. 1, quæst. 19, punc. 3, n. 3, § 16, Marchin. de peste part. 4, cap. 4, num. 11, et alii passim; Rota in cit. Brundisina Tabellæ 13 Februar. 1604. cor. Pegna, quam sequuta est S. Congreg. Immunit. 28 April. 1640, apud Barbos. cit. lib. 1 Jur. Eccl. cap. 39, § 1, num. 8, et in Parm. Placentina, Mantuana, Aquin. Casalen. Mutin. Regien. Lucan. Brixien. Cremonen. Nullius Guastallæ, et Nonantulæ 22 Decembris 1691, et 26 Novembr. 1693, in Mediolanen. et Flor. 1 Septembris 1693, et in Pedemontana 15 et 16 Jul. 1691, apud Riccium loco citato verb. *Contributio causa belli* ibi: « Auditis Ordinariis locorum, et convocatis deputatis Cleri, tum sæcularis, tum Regularis, ad habendum consensum pro suppeditando honesto subsidio in supplementum facultatum Laicorum tempore belli etc. » Vide ibi, ubi plurima alia decreta referuntur ad rem. Unde ad id non sufficit deliberatio Episcopi cum Capitulo Ecclesiæ Cathedralis, et multo minus solius Episcopi argum. Clement. 1 et 2, de censibus. Et ratio est, quia concursus Cleri simul requiritur pro forma in cit. cap. *Non minus*, ibi: « Nisi Episcopus, et Clerus etc. » et in cit. cap. *Adversus*, ibi: « Si Episcopus simul cum Clericis, etc. » Tum quia *quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari*, textu expresso in cap. *Ad hæc* 7, de Offic. Archidiaconi; et cap. *Quod omnes* 29, de Reg. Jur. in 6, quidquid in contrarium sentiant aliqui apud Reiffenstuel loc. cit. num. 218.

(10. Et hanc servando statutam formam, consulitur et indemnitati Immunitatis Ecclesiasticæ, et securitati Episcoporum; consulitur indemnitati Immunit. quia per talem formam occurritur collusioni quorundam Episcoporum qui Principum minis perterriti, vel spe præmii allecti, possunt Ecclesias, et Ecclesiasticas personas nimis gravare ad solvendas exuberantes solitas prætendi Contributiones contra dispositionem c. *Clericis* 3, de Immunit. Eccles. in 6. Et consulitur securitati Episcoporum, quia si ex solo suo arbitrio Contributio penderet, non auderent tam facile illam armatis exercitibus, ac Principibus denegare, prout libere facere possunt docendo, quod non a se solis cum Capitulo suæ Cathedralis, sed a toto id Clero dependet, per supra allegata jura, et Decreta, ac alia similia.

(11. Quamvis tamen relinquatur arbitrio Episcopi, et Cleri examen, cognitio, et deliberatio, an tanta adsit communis necessitas,

ut Laicorum facultates non sufficiant, non tamen eorum arbitrio relinquatur consentire, vel dissentire ad contribuendum, sed ubi cognoverint, et judicaverint vere evenisse casum tantæ communis necessitatis, ut ad ipsam sublevandam, et reparandam non sufficiant Laicorum facultates, tenerentur et ipsi contribuere; Sic Pignatell. tom. 3, cit. consult. 15, num. 34, cum Gutierrez, Bartolo, et aliis ibi citatis; Reiffenstuel loc. cit. num. 259, et alii plures. Et ratio est, quia arbitrium Clero relictum, non intelligitur de libera voluntate Cleri, sed de arbitrio a Jure, et ratione regulato; verbum enim *existiment* in d. c. *Non minus*, ibi: « Subsidia per Ecclesias existiment conferenda, » et verbum *duxerint* in cit. c. *Adversus*, ibi: « Subsidia duxerint per Ecclesias conferenda, » non referuntur ad merum placitum voluntatis, sed ad arbitrium boni viri ratione regulatum; l. *Fideicommiss.* 11, § 7, ff. de Legatis 3, cum similibus.

(12. Per hoc autem quod cognita tali vera communi necessitate teneatur Clerus contribuere, non tenetur tamen, nec potest (nisi grave periculum sit in mora, juxta dicta supra num. 6.) contributionem statim solvere, nisi prius consulatur summus Pontifex, quia consilium et consensus Summi Pontificis ad id requiritur pro forma in cit. cap. *Adversus* 7, de Immunit. Eccles. ibi: « Propter impudentiam tamen quorundam Romanus Pontifex prius consulatur, cujus interest communibus utilitatibus providere. » Et concordat cap. *Clericis*, 3, de Immunit. Eccles. in 6. Extravagant. *Quod olim* de immunit. Eccles. Bulla *Cænæ* § 18, Const. Urbani VIII, incip. *Romanus Pontifex*, et Sac. Cong. Immunit. quæ innumeris resolutionibus id semper decrevit, ut videri potest apud Riccium in citata sua Synopsi per tot. et signanter verb. *Contributio* num. 1. ibi: « Est opinio vera, observata, ut in Contributionibus Ecclesiasticorum semper prærequiratur Beneplacitum Apostolicum, » Sac. Con-

CONTRITIO

Vide verb. POENITENTIE SACRAMENTUM.

CONTUMELIA

Vide verb. DETRACTIO, art. 1, num. 8.

CONVENTUS

SUMMARIUM.

ARTICULUS 1. — Quoad ea quæ concernunt Conventuum fundationem, et translationem.

1. Pro legitima, et valida fundatione Conventuum, seu Monasteriorum Regularium sunt omnimode attendendæ Constitutiones Pontificiæ ad hoc editæ. — 2. Adducitur Constitutio Clementis VIII. — 3. Adducitur Constitutio Gregorii XV. — 4. Adducitur Constitutio Urbani VIII. — 5. Adducitur Constitutio Innocentii X. — 6. Constitutiones Apostolicæ pro erigendis novis Conventibus sunt servandæ etiam extra Italiam, et in aliis Provinciis ultra montes. — 7. Tales Pontificiæ Constitutiones servandæ sunt in erectione Conventuum omnium Regularium, tam

greg. Immunit. in Mutinen. 20 Martii 1643. lib. 3, decret. Pauluc. pag. 197.

(13. Unde advertunt communiter Doctores cum Abbate in c. *Adversus* n. 6, Pignat. cit. cons. 15, n. 16, Pirhing. cit. tit. 49, de Immunit. Eccles. n. 72, Reiffenstuel. ib. n. 260. quod non solum Laici exigendo, sed etiam Clerici sponte solvendo Contributiones quas-cumque, et Episcopi concedendo aut consentiendo, ut solvantur sine prævio expresso consensu Summi Pontificis, illicite, et invalide agerent, ac excommunicationem majorem Papæ reservatam incurrerent; cap. *Clericis* 3, de Immunit. Eccles. in 6, cum aliis supracitatis juribus (nisi forte excusarentur per grave periculum in mora juxta dicta supra n. 6.)

(14. Clerici enim nequeunt de se renunciare privilegio in favorem totius status Clericalis concessio arg. c. *Si diligenti* 12, de Foro competenti, ibi: « Cum non sit Beneficium hoc personale, cui renunciare valeat, sed potius toti Collegio Ecclesiastico publice sit indultum, cui privatorum pactio derogare non potest; » et concordat l. *Jus publicum* 38, ff. de pactis. Nec Episcopus eidem derogare, ac præjudicare potest cum inferior in Legem Superioris nullam habeat potestatem; c. *Inferior* 4, dist. 21, *Cum inferior* 16, de majorit. et obedient. Clement. *Ne Romani* 2, de election.

(15. Alia multa ad rem. Vide verb. *Bona Ecclesiastica* per tot. verb. *Clericus* art. 2, verb. *Gabella*, verb. *Immunitas Ecclesiastica* per tot. et signanter art. 4.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(16. De Contributione expensarum pro re communi, quando ea fieri pro æquis partibus debeat, et quando debeat fieri pro rata usus, commodi, et utilitatis, ut qui ex sociis ampliori tempore aut modo utitur, ampliores subeat expensas, late tradit Rot. in Novarien. Contributionis 22. Mart. 1748. coram Illustriss. Molin.

Mendicantium, quam non Mendicantium. — 8. Immo servandæ sunt tales Constitutiones etiam in reassumptione Conventus antea derelicti. — 9. Insuper non solum Decreta Apostolica servanda sunt in fundatione Conventuum, sed rigorosius in aperi-tione Hospitiorum, usque ad n. 10. — 11. Non sunt tamen attendendæ dictæ Constitutiones Apostolicæ, in translatione Conventus ad alium situm ejusdem loci, vel ob salubritatem aeris, vel ob periculum ruinæ fabricæ, vel ob aliud grave incommodum. — 12. Neque sunt attendendæ dictæ Constitutiones Apostolicæ, etiamsi translatio fiat ad situm, in quo reperiuntur constructi Conventus aliarum Religionum, quæ privilegium habent, quod novi Conventus non erigantur, nisi servata certa distantia. —

15. Novus Conventus Regularium nequit erigi sine beneplacito Apostolico, seu speciali Sedis Apostolicæ licentia. — 14. Neque fundari potest sine consensu Ordinarii. — 15. Hæc duo requisita, scilicet consensus Sedis Apostolicæ, et Ordinarii copulative requiruntur. — 16. Sine licentia Sedis Apostolicæ fundatio est nulla. — 17. Sic pariter est nulla, si sit facta sine consensu Ordinarii. — 18. Ordinario licentiam denegante pro fundatione Conventus est recurrendum ad Sac. Cong. Episc. et Reg. et non ad Nuncium Apostolicum. — 19. Pro fundatione novi Conventus requiri consensum Regularium talibus Civitatibus, et locis existentium, statuit Clemens VIII. — 20. Adeo ut Religiosi intra quatuor milliaria existentes propter locorum paupertatem, et elemosinarum tenuitatem possent se opponere. — 21. Ex posteriori tamen Constitutione Gregorii XV, videtur non esse amplius de necessitate requirendum consensum aliorum Regularium, quando Ordinarii constat novos Conventus erigendos posse commode, et sine aliorum præjudicio in tali Civitate, vel loco sustentari, usque ad n. 25. — 24. Quo ad hæc tamen attendendum est sequens posterius Breve Innocentii X. — 25. Et pariter attendendæ sunt variae resolutiones, tum Rotæ, tum Sacrarum Congregationum in unum congestæ ab Ursaya. — 26. In fundatione novi Conventus præservanda sunt jura Parochialia. — 27. Novi Conventus nequeunt erigi, seu fundari, nisi in eis possint sustentari saltem duodecim Religiosi, aliter remaneant subjecti Ordinariis. — 28. Quod procedit detractis expensis Sacristiæ, et Ecclesiæ. — 29. Ad quem effectum non est habenda ratio de redditibus difficilissimæ exactio- nis. — 30. Nec juvat, quod Religio offerat supplere de redditibus aliorum Conventuum. — 31. Requisita pro fundandis novis Conventibus Religiosorum habent etiam locum circa erigenda Monasteria Monialium. — 32. Talia requisita locum non habent, nec exiguntur pro Congregationibus presbyterorum sæcularium collegialiter viventium, et sola auctoritate Ordinarii fundatis, et erectis. — 33. Regulares, qui possessionis honorum, et annuorum reddituum sunt capaces, quamvis Ordinum Mendicantium sint, possunt ad novas fundationes admitti recepta eorumdem obligatione non quæstuandi. — 34. Apud Minoritas Regularis Observantiæ novi Conventus non eriguntur, neque jam erecti deserunt sine consensu Diffinitorii Provincie. — 35. Pro erectione novorum Conventuum, et Monasteriorum adducitur novissima dispositio Congregationis super disciplina Regulari deputata. — 36. ad 47. Requisita ad fundationem novi conventus.

ARTICULUS II. — Quoad ea, quæ concernunt Conventuum suppressionem, restitutionem, et exemptionem.

1. Adducitur compendiosa notitia suppressionis, et restitut. Conventuum. — 2. Adducitur Constitutio pro numero personarum in singulis Monasteriis præfigendo. — 3. Formula describendi statum cujusque Monasterii de mandato Congregationis confecta. — 4. Bulla Suppressionis parvorum Conventuum Italiae, et Insularum adjacentium in Congregatione compilata, et jussu Papæ statim edita et publicata. — 5. Literæ Congregationis exprimentes nominatim Conventus suppressos et exquirentes Episcoporum, et Capitulorum sententias pro bonis applicandis. — 6. Relationes applicationis bonorum Conventuum suppressorum a Papa ad se relatas approbavit. — 7. Literæ Circulares super Granciis, et membris etiam Curatis Monasteriorum. — 8. In Granciis, et membris Monasteriorum habitare non possunt Regulares Sacerdotes, sed Conversi tantum pro honorum administratione. — 9. Missæ in Cappellis Granciarum, quando, et a quibus celebrandæ. — 10. Cura animarum in Granciis, et Membris Monasteriorum exerceri non potest per Regulares, sed per Vicarios

perpetuos, vel amovibiles ab Ordinario deputandos. Granciarum bona reservantur ipsarum Monasteriis. — 11. Canonicorum Regularium Lateranensium Grancie, et Parochiales ab Innocentio X declarantur comprehendi in ejus Bulla, *Instaurandæ*. — 12. Conventus plurimi primum suppressi, ac deinde ex rationabilibus causis a Papa Religionibus restituti. — 13. Regulares de jure facultatem non habent uniendo Ecclesias, etiam sibi pleno jure subjectas. — 14. Unio parvorum Conventuum ejusdem Religionis in eodem loco existentium, qua lege facta fuerit? — 15. Adducitur motivum, et decretum Innocentii X, pro subjectione nonnullorum Conventuum jurisdictioni Ordinarii loci. — 16. Conventus suppressi, et postea Religionibus restituti, si non alant quatuor Sacerdotes, et duos Conversos, gratia restitutionis est nulla. — 17. Conventus numquam suppressi, in quibus non aluntur ad minus quatuor Sacerdotes, et duo Conversi sunt subjecti jurisdictioni Ordinarii loci. — 18. Decretum Urbani VIII, super Monasteriis erectis cum pauciori numero quam duodecim Religiosorum, præservatur in Decreto Innocentii X, *Ut in parvis*. — 19. Hoc decretum illico transmissum fuit ad quemlibet Episcopum, una cum Literis Congregationis continentibus nomina Conventuum Religioni suæ restitutorum in illa Diocesi. — 20. Afferuntur dubia suborta ratione d. Decreti Innocentii X, cum suis responsionibus et Decretis ab Alexandro VII approbatis. — 21. Afferuntur alia dubia suborta ratione Constitutionis Innocentii X, incipient. *Instaurandæ*, et d. ejusdem Decreti incipient. *Ut in parvis* cum suis responsionibus, et Decretis. — 22. Afferuntur alia dubia suborta ratione d. Decreti *Ut in parvis*, cum suis responsionibus, et Decretis. — 23. Quamvis ex Decreto *Ut in parvis*, Conventus erecti post diem 21. Junii 1625. si in ipsis non permaneant saltem duodecim Religiosi, relinquuntur subjecti Ordinario loci; tamen Sac. Congreg. Regular. diversimode censuit de omnibus generaliter Conventibus non suppressis, declarando Conventus numquam suppressos, in quibus sunt plures quam sex Religiosi, non subjacere Ordinariis. — 24. Quo enim ad alios Conventus antea erectos, et numquam suppressos pro exemptione ab Ordinarii jurisdictione sufficiunt sex tantum Religiosi ex ipsomet Decreto *Ut in parvis*. — 25. Conventus suppressi, et iterum restituti remanent subjecti Ordinarii loci. — 26. Tales Conventus primum suppressi, et deinde Religionibus restituti non remanent suppressi, nec gratia restitutionis est nulla, si ab ipsis ex aliqua rationabili causa, et ad breve tempus absit unus, vel plures ex numero sex Religiosorum ibi degentium. — 27. Si tamen a Conventibus non suppressis, licet ex causa rationabili absit aliquis e sex Religiosis ibi existentibus, Conventus subjacent jurisdictioni Ordinarii loci, durante tali absentia. — 28. Et illo Religioso redeunte, vel alias impleto numero sex Religiosorum, Conventus recuperant pristinam exemptionem. — 29. Conventus omnes erecti post diem 25. Decembris 1697. si in ipsis non permaneant saltem duodecim Religiosi, remanent subjecti Ordinariis. — 30. Afferuntur novissima Epistola attendenda quoad parvos Conventus. — 31. Episcopus visitans parvos Conventus sibi suppositos nequit a visitatis aliquid accipere procuracionis nomine, neque in pecunia, neque in victualibus. — 32. ad 34. De Conventuum visitatione. — 35. ad 38. Aliqua notanda quoad Conventus in quibus exigua inhabitat Familia. — 39. ad 44. Utrum subsint jurisdictioni Episcopi ordinariæ, an delegatæ.

ARTICULUS III. — Quoad ea, quæ concernunt Conventuum Clausuram.

1. Omnes Regulares quicumque illi sint, obligantur ad habendum aliquod genus Clausuræ in Clausuris, et Conventibus suorum Ordinum. — 2. Specialius Conventuum Regularium clausuram respiciunt

duæ Constitutiones S. Pii V. quarum prima incipiens *Regularium Personarum* revocat omnes facultates ingrediendi Monasteria virorum mulieribus concessas. — 3. Et per ipsam mulieres ingredientes clausuram Conventuum virorum prætextu licentiarum, excommunicantur excommunicatione Papæ reservata. — 4. Regulares vero ipsas præsumentes introducere, vel admittere, Officiis privantur, inhabiles ad illa, et alia obtinenda declarantur, et a divinis ipso facto sine alia declaratione suspenduntur. — 5. Secunda S. Pii Constitutio incipiens, *Decet Romanum Pontificem*, extendit easdem pœnas ad mulieres sub licentiarum prætextu clausuram Monasteriorum virorum ingredientes; et ad Religiosos eas intra Monasterii Clausuram etiam absque ullo licentiarum prætextu admittentes. — 6. Regulares quamvis ex dictis duabus Constitutionibus S. Pii V. non ligentur excommunicatione introducendo vel admit- tendo fœminas intra Conventuum suorum clausuram, tamen excommunicationem incurrunt, introducendo vel admittendo ipsas sub licentiarum prætextu ex Constitut. Greg. XIII. incipiente *Ubi gratia*. — 7. Et ipsam excommunicationem absolute incurrunt, sive introducant prætextu licentiarum, sive sine talium licentiarum prætextu ex declaratione Sac. Congreg. Episc. et Regularium. — 8. Afferuntur declaratio, seu Decretum — 9. Nomine clausuræ Conventuum, in quam est fœminis interdictus ingressus, intelligitur totum illud spatium quod intra septa Monasterii, seu Conventus continetur. — 10. Viridaria, et prata cum Conventu et clausura conjuncta veniunt nomine clausuræ, ita ut mulieres ipsa ingredientes excommunicationem incurrant. — 11. Secus vero, si ipsa viridaria, et prata sint a clausura separata clavi, et muro convenienti. — 12. Sacristia ad quam non patet aditus, nisi per januam, quæ sit in claustrum, comprehenditur sub clausura. — 13. Secus vero, si habet ingressum a sola Ecclesia, quia sic censetur pars Ecclesiæ. — 14. Si vero ad Sacristiam duplici porta, una in claustrum, et alia in Ecclesia existente pateat aditus, plures docent contineri sub clausura: sed praxis fere ubique videtur in contrarium. — 15. Mulieres, quæ vadunt in prima claustra ad hauriendam aquam, modo Conventus habeat alia claustra in via mulieribus, non incurrunt in excommunicationem. — 16. Nomine mulierum, quibus prohibetur ingressus in Monasteria virorum, veniunt omnes fœminæ cujuscumque status, gradus, ordinis, et conditionis, etiam Comitissæ, Marchionissæ, et Ducissæ. Attende tamen novissimam dispositionem Benedicti XIV, adductam infra, sub n. 56. — 17. Etiam fundatrices Conventuum quantumvis nobiles sint et excellentes comprehenduntur sub ista prohibitione.

ARTICULUS I.

Quoad ea quæ concernunt conventuum fundationem, et translationem.

(1. Pro legitima, et valida fundatione Conventuum, seu Monasteriorum, vel cœnobiorum Regularium, sunt omnimode attendendæ Pontificiæ Const. et signanter Constit. Clem. VIII incip. *Quoniam ad instantiam*, Constitutio Greg. XV incip. *Cum alias*, Constitutio Urb. VIII incip. *Romanus Pontifex*, et Const. Innocent. X incip. *Instaurandæ Regularis disciplina* § 5. Quæ omnes Constitutiones, ut ab omnibus in promptu habeantur, et adamussim observentur, hic ad litteram dantur.

(2. Clementis VIII Constitutio XCIX circa erectionem novorum Conventuum.

CLEMENS EPISCOPUS, ETC.

Quoniam ad instantiam Regularium loco-

Observa tamen dictam novissimam dispositionem. — 18. Etiam puella parvule cujuscumque sint ætatis; usque ad n. 19. — 20. At praxis pluribus in locis videtur contraria, et posse puellas parvulas intrare in Monasteria virorum, tenent plures, usque ad n. 21. — 22. Imperatrices, et Reginae, earumque Filiae possunt intrare in Monasteria Religiosorum cum sua decenti comitiva. Juxta tamen dict. novissimam dispositionem. — 23. Mulieres omnes possunt licite ingredi in Conventus Religiosorum tempore Processionum, dummodo Processiones sequantur, nec ad interiores officinas, vel Religiosorum cellas divertant. Hodie autem attendenda est contraria dispositio Benedicti XIV. — 24. Afferuntur ad hoc Constitutio S. Pii V. — 25. Et Decr. Sac. Cong. Rituum. — 26. Sensus, et intelligentia talis Decreti. Attende d. novissimam dispositionem. — 27. Privilegium, quoad ingressum mulierum in Conventus Religiosorum non videtur ubique in usu, nisi pro tempore, quo Processiones fiunt. — 28. Superior nequit Processionem extraordinariam instituire ad solas preces mulierum nobilium, et divitum, ut ipsæ possint Conventum ingredi ad satisfaciendum suæ curiositati; et si hoc faciat, peccat mortaliter, et incurrit pœnas taxatas. — 29. Nec potest Superior, sive alius Religiosus mulieres introducere, quando murus clausuræ materialis ex accidenti est dirutus. — 30. Nomine Religiosorum introducentium, vel admittentium mulieres in Clausuram Conventus veniunt omnes Religiosi active influentes in talem ingressum mulierum, ut sunt invitantes, consulentes, hortantes, approbantes, monstrantes iter, auferentes impedimenta, januam aperientes, eas recipientes, concedentes, et auctoritative, sive ratione sui officii permittentes, ut intrent. — 31. Religiosus, qui mulierem jam introductam ex urbanitate salutatur, ex decentia status illius per Conventum comitatur, incurrit pœnas taxatas, contra admittentes, recipientes, aut introducentes, si ipse est causa efficacis, quod fœmina diutius detineatur in Conventu. — 32. Si tamen comitaretur, ut ea citius e Conventu egrederetur, et per rectam, et brevioram viam ad egressum urgeret, nullam pœnam incurreret. — 33. Sæculares non possunt pernoctare, etc., in Conventibus Fratrum Minorum de Observantiæ. — 34. Sub hac prohibitione comprehenduntur etiam Clerici, nisi sint vita exemplares. — 35. A supradicta tamen prohibitione excipiuntur Syndici Apostolici Conventuum præfatorum Fratrum. — 36. ad n. 40. Nunc quoad Clausuram attendenda est novissima dispositio Benedicti XIV. — 41. De Excommunicatione quam incurrunt fœminæ ingredientes clausuram Conventuum Virorum, et Religiosi illas introducentes, *Remissive*.

rum, et personarum reformationem promovendam, et conservandam maxime pertinet, ut in quibuscumque Domibus et Monasteriis sit tantum numerus Religiosorum, qui commode ibidem alipossit, contineatur, ac eo pariter spectat, ut in quibuscumque Civitatibus, et locis, novæ Domus, et Monasteria præsertim Mendicantium non erigantur, nisi in eisdem civitatibus, et locis, aliarum Domorum, et Monasteriorum in eis existentium habita ratione, commode sustentari posse dignoscatur.

§ 1. Hac igitur Nos consideratione ducti et præmissis pro nostro pastoralis munere opportune providere volentes, motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ex voto etiam Venerab. Fratrum nostrorum S. R. Cardinal. super consultationibus, et negotiis Episcoporum, et Regularium præpositorum; harum serie declaramus, locorum Ordinarios non posse licentiam ad novos Conventus cu-

juscumque Mendicantium Ordinis, in civitatibus, et locis eorum ordinariæ jurisdictioni subjectis erigendos impertiri, nisi vocatis, et auditis aliorum in eisdem civitatibus, et locis existentium Conventuum Prioribus, seu Procuratoribus, et aliis interesse habentibus, et causa servatis servandis cognita, constiterit, in eisdem civitatibus, et locis novos hujusmodi erigendos Conventus, sine aliorum detrimento commode sustentari posse.

§ 2. Si vero ab eorum in hujusmodi causis sententiis ad Nos, et Apostolicam Sedem provocari, et appellari contigerit, ipsos Ordinarios tamdiu erectionem novorum Conventuum suspendere debere, quousque a nobis, et Apostolica Sede in eadem causa pronunciatum extiterit, et irritum nihilominus et inane decernentes quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§ 3. Quocirca universis Vener. Fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis et aliis locorum Ordinariis per presentes in virtute Sanctæ Obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, ut presentes nostras literas observent, observari curent, et faciant.

§ 4. sequitur derogatio ampla Contrariorum. Datum Romæ apud S. Marcum 23 Julii 1603. Anno 12. Bullar. tom. 3, pag. 146.

(3. Gregorii XV Constitut. XXXI qua confirmatur et ampliatur præcedens Constitutio Clem. VIII.

GREGORIUS EPISCOPUS, ETC.

§ 1. Cum alias fel. rec. Clem. Papa VIII decesserit, Ordinarios locorum licentias ad novos Conventus cujuscumque præsertim Mendicantium Ordinis in Civitatibus, et locis eorum ordinariæ jurisdictioni subjectis erigendos, impertiri non posse, nisi vocatis, et auditis aliorum in eisdem Civitatibus, et locis existentium Conventuum, Prioribus et aliis interesse habentibus, et ex causa servatis servandis cognita, in eisdem Civitatibus, et locis novos hujusmodi erigendos Conventus sine aliorum detrimento, commode sustentari posse constiterit. Si vero ab eorum sententiis ad Sedem Apostolicam provocari, et appellari contigerit, ipsos Ordinarios tamdiu erectionem novorum Conventuum suspendere debere, quamdiu a dicta Sede in ea causa pronunciatum extiterit, ac alias prout in Decreto hujusmodi plenius continetur.

§ 2. Verum per piæ mem. Paulum Papam V accepto, plerosque ex Ordinariis prædictis favore vel nimia exposcentium importunitate, ad novos Conventus, seu Domos præter, et contra tenorem prædicti Decreti erigendos plerumque adduci, quo fit, ut non habita debita eleemosynarum, seu reddituum cujuscumque Monasterii, Conventus, seu Domus ratione, Monachi, seu Fratres, aut Religiosi ibi degentes, manuteneri nequeant, et ad tam exiguum numerum reducantur, ut cultus divinus in eorum Ecclesiis destitueretur, ibique Regularis disciplina, ut convenit,

conservari non valeat, Sacra Congreg. Illustrissimorum DD. Cardin. negotiis Regularium Præpositorum, ad quos idem Paulus Papa V negotium hujusmodi rejecerat, tot incommodis obviam ire, eisque aliquod opportunum remedium adhibere cupiens, decreti hujusmodi veriores, ac totos tenores præsentibus ac si de verbo ad verbum insererentur pro plene sufficienter expressis habens, vivæ vocis oraculo a SS. D. N. Gregorio Papa XV habito Decretum prædictum quatenus opus sit, innovat et in usum reducit.

§ 3. Volens, quod de cætero Monasterium, Conventus, Domus, Congr. vel Societas Relig. seu Regul. cujuscumque etiam Mendicantium Ordinis, Societatis, et Instituti, quocumque nomine nuncupentur, etiamsi de illis particularis, expressa et specifica mentio habenda esset, in quacumque Civitate, vel Oppido, seu quocumque alio loco non erigantur, nisi in eo saltem duodecim Fratres, aut Monachi, seu Religiosi inhabitare, ac ex redditibus, et consuetis eleemosynis sustentari valeant, ac Priores, seu Procuratores aliorum Monasteriorum, Conventuum, seu Domorum aliarum Religionum, vel Congreg. seu Societatum, aut Institutorum hujusmodi non solum in prædictis, sed etiam in aliis per quatuor millia passuum circumvicinis locis ad id vocati, et auditi fuerint, vel alias Ordinariis locorum constiterit, Religiosos Monasterii, Conventus, seu Domus regularis sic erigendi, seu erigendæ absque detrimento Religiosorum in Monasteriis, Domibus ante in Civitatibus seu locis hujusmodi erectis degentium, ibi in numero duodecim, commode, et congrue manuteneri, et alii posse. Si vero novi Conventus, Domus, Congregatio, vel Societas hujusmodi instituendæ erunt, nullique alii Regulares inibi reperiantur, Ordinarii locorum nihilominus diligenter inquirent, an locorum incolæ, et Habitatores, quorum et consensum requirant, ac adhibeant, hujusmodi duodecim Religiosos in Conventibus, ut præmittitur, instituendis commode alere, et manuteneri valeant.

§ 4. Si vero a Decreto, seu Decretis per Ordinarios prædictos in causis hujusmodi ferendis legitime appellari contigerit, ex nunc prout ex ea die, qua appellatio interponetur, ea ad eand. Sac. Congregationem una cum toto negotio principali devoluta censeatur, appellationeque hujusmodi pendente nihil innovandum esse, irritumque, et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernens quibuscumque in contrarium facient. non obstantibus, etc.

Rom., 17 Aug. 1622, Bullar. tom. 4, pag. 138.

(4. Urbani VIII Constit. XXV qua confirmantur et ampliatur præfata due Constitutiones.

URBANUS EPISCOPUS, ETC.

Romanus Pontifex, cui Salvator et Dominus noster, qui Charitas est, et Deus pacis,

universalis Ecclesiæ credidit principatum. ea interdum, quæ certis etiam rationabilibus de causis a Sede Apostol. concessa sunt, ipsa subinde rerum experientia suadente, et majoribus ex causis, quibus præsertim personarum sub suavi Religionis jugo Altissimo famulantium paci, et quieti consulitur, litibusque, ac controversiis inter eos obviamitur, revocat, et immutat, in hisque pastoralis sollicitudinis, et providentiæ suæ studium interponit, prout rerum, et temporum qualitatibus debite pensatis, conspicit in Domino salubriter expedire.

§ 1. Cum itaque, sicut Nobis innotuit, complures licentiæ, sive facultates a nonnullis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris per diversos Ordinum etiam Mendicantium, Cong., Societatum et aliorum Regularium Institutorum Superiores; seu alios eorum nomine, ubique locorum Monasteria, Domos, Collegia, et alia loca Regularia, servata dumtaxat Sacrorum Canonum, et Conc. Trid. Decretorum forma, de sola Ordinarii licentia seu etiam forsitan non servata forma et absque licentia hujusmodi, et contra Decreta a Sede Apostol. super præmissis edita, fundandi, erigendi, et instituendi importunis precibus, seu etiam motu proprio, vel alias obtentæ, et extortæ fuerint; idecirco Nos omnes, et quascumque licentias, ac facultates hujusmodi literasque desuper tam sub plumbo, quam in hujusmodi forma Brevis expeditas, earumque tenores etiam veriores, et Dat. præsentibus, ac si specificè, et sigillatim exprimerentur, et insererentur, pro plene, et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, justis de causis animum nostrum moventibus motu proprio, non ad alicujus Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, ac matura deliberatione nostra, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes, et quascumque licentias, et facultates hujusmodi, literasque desuper tam sub plumbo, quam in eadem forma Brevis expeditas, omniaque, et singula in eis quomodolibet contenta, et expressa, etiam quoad erectiones, foundationes, et institutiones Monasteriorum, Domorum, Conventuum et aliorum Regularium locorum hujusmodi, quæ suum nondum sortitæ sunt effectum, tenore præsentium perpetuo revocamus, cassamus, abrogamus, et annullamus, viribusque, et effectu prorsus evacuamus.

§ 2. Præterea Ordinum etiam Mendicantium, Congregationum, Societatum, et aliorum Institutorum Regularium Superioribus quocumque nomine nuncupatis, cæterisque personis ad quos spectat in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac sub pœna privationis vocis activæ, et passivæ, nec non officiorum quorumcumque, ac inhabilitatis ad illa, et ad alia in futurum obtinenda, nec non etiam excommunicationis ipso facto incurrendis pœnis interdiximus, et prohibemus, ne licentiarum, seu facultatum per Nos, ut præfertur, revocatarum, et annullatarum, sive alio quovis prætextu, vel causa, etiam quantumvis privilegiata, nova Monasteria, Collegia, Domos, Conventus, et alia loca

Regularia hujusmodi, nisi de expressa Ordinariorum licentia, ac servata in omnibus, et per omnia Sac. Canonum, et Conc. Trid., nec non Const. fel. rec. Clem. VIII, quæ incip. *Quoniam ad instantiam, etc.*, ac Decretorum de mandato ejusdem Clem. necnon San. Mem. Greg. XV Rom. Pont. Prædecess. desuper editorum forma recipere, erigere, fundare, seu alias quomodolibet instituere, seu incepta finire et absolvere audeant, seu præsumant.

§ 3. seq. *Sequuntur clausula præservativa hujus Constitutionis, deputantur Exsecutores, et contrariis amplissime derogatur.*

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem, die 28 Aug. Pontificatus anno secundo, Bullar. tom. 4, pag. 265.

(5. Innocentii X Constitutio super suppressione parvorum Conventuum, ac prohibitione novos erigendi.

INNOCENTIUS EPISCOPUS, ETC.

Instaurandæ Regularis disciplinæ opus multis laboribus, ac vigiliis a Rom. Pont. Prædecess. nostris jampridem assumptum nobis in dies magis magisque cogitantibus cur ad optatum finem, hucusque perducere non potuerit, totque saluberrima decreta, et ordinationes fere in irritum ceciderint; illa tandem præcipua sese obtulit originis causa, quod Religiones quamplures ex parvis Conventibus, ac domibus magna ex parte conflantur, in quibus sive ob aeris intemperiem sive aliam ob causam non aluntur, nec alii possunt tot Religiosi, quot ad peragendum rite Divinum cultum, et Regularia munia ex ejusque Ordinis præscripto sunt necessarii.

§ 1. Etenim in tam exiguo numero ibi degentes nec divinum Officium nocturnum pariter, et diurnum in Choro celebrare, nec orationi mentali, ac spiritualibus collationibus, et exercitiis, ac studiis in communi vacare, nec silentium, clausuram, vitam communem, cæterasque institutiones servare possunt, quæ ad tria principalia vota ordinantur, et sine quibus consistere vix possunt regularis vitæ bases et fundamenta. Quamobrem otio immersi nullum religiosæ vitæ specimen præ se ferunt: soli incedunt per Urbes, et loca, cum sæcularibus vagantur, ac mundanis negotiis se involvunt. Indeque fit, ut ibi collocari renuant Religiosi probatæ vitæ, ac disciplinæ, et Superiores cogantur illic familiam constituere ex fratribus vitæ laxioris, qui loci licentia pejores fiunt; et si quando ad cœnobias, seu Monasteria Regularis Observantiæ revocantur, a claustro, quasi a squalore carceris abhorrentes vix adduci possunt, ut communem servent in moribus disciplinam, atque aliorum institutionibus se conforment, quin potius cæteros avertunt, vel certo reddunt suo exemplo segniores. Unde relaxationes derivantur in Ordines, et sensim invalescunt in ipsarum Religionum dedecus, et ruinam. Præterea (quod dolentes referimus) ad hujusmodi Conventus, præsertim in locis infrequentibus, et solitariis tanquam ad Asylum facinorosi,